

60202.-

ORATIONEM

QUA

R ESTICA

VIR CLARISSIMUS ATQUE DOCTISSIMUS

DANIEL ERNST WEHRMANN

MUNUS PROFESSIONIS POETICAE AC LINGUAE GRAECAE

SUSCIPIET,

PUBLICICE HABENDAM INDICIT

E. A. W. HOERSCHELMANN

PHILOSOPHIAE PROFESSOR, h. t. RECTOR.

Praemittitur brevis commentatio,
de usu historiae ciuilis in grauissima quadam
theologiae naturalis quaestione.




REVALIAE a. d. XIII. calend. Septemb. MDCCLXXIX.

ESTICA

A. 1903.

Typ. Lindorffii.



istoriae studium summa gaudere utilitate nec facile nominari posse hominem, cujuscunque etiam sit aetatis, fortunae, ingenii, qui ex historia, recte exulta, uberrimos fructus capere nequeat, haud facile quisquam in dubium vocabit, nisi, qui ne primoribus quidem, ut ajunt, labris utilissimam illam bonarum litterarum partem attigisse putandus sit. Inter laudes tamen, quibus summi viri historiae studium extollere haud dubitarunt, eminere mihi videntur eae, quas *Diodorus siculus* praedicavit, a quo historia *metropolis philosophiae* h. e. interprete viro quodam celeberrimo, magna quasi ciuitas appellatur, ex qua philosophorum disciplinae, colonorum instar, progrediantur. Et fane quidem haud immerito tanta laude prosequutus est historiam *Diodorus*. Quanquam enim non omnia omnino philosophiae capita ex historia, locupletissima alias bonarum litterarum parte, colonorum instar, emitti dicerem; de praecipuis tamen, in quibus omnium maxime versari debent philosophi, doctrinam puto de homine atque deo, extra omnem dubitationis aleam id mihi positum esse videtur. Quod enim ad doctrinam de homine attinet, notum satis est atque perspectum, accuratorem ejus cognitionem e rerum praesertim gestarum memoria hauriendam esse summosque cujuscunque aetatis philosophos grauissimam illam cognitionem ex hoc maxime fonte deduxisse; quippe historia, ut inter omnes constat, pulcherrime nobis depingit hominem, quâ hominem. quâ ciuem, satisque euidenter nos docet, quam varia sint atque diuersa animorum humanorum lineamenta, quibus vitiis mortales laborent, quibus virtutibus sint praediti, qua via ad felicitatem sibi comparandam inceserint, quoties a recto tramite aberrarint, et quae sunt reliqua. — Ad doctrinam de deo autem quod attinet, perspici haud difficile potest, qui eam collant, summam quoque eos utilitatem capere posse ex historiae studio, recte exulto. Ejus enim ope non solum primum illud, *deum esse*, facilius explicari, sed *attributis* etiam atque *operibus diuinis* haud parum perspicuitatis ac euidentiae comparari potest. Quae quidem omnia quam
est
luben-

lubentissime copiosus jata exsequerer, nisi angustum nimis, quod mihi datum est, scribendi spatium omnino me impediret. Ex latissimo igitur, qui hic se mihi aperit, dicendi campo, jam unice tantummodo rei paulo longius immorabor, quae tamen et singulari, qua gaudet, dignitate et insigni, quod in salute hominum promouenda habet, pondere prae multis aliis valde se nobis commendat. Breuiter nimirum de *providentia diuina* differam atque *ad penitus intelligendam grauissimam aliquam ejus loci quaestionem historiam praesertim civilem plurimum conferre, luculentis rationibus ostendam.*

Vt de omnibus fere philosophiae capitibus, ita praesertim etiam de providentia diuina summa semper philosophorum dissensione certatum est. Fuerunt enim, qui deum hujus uniuersi curam gerere omnino negarent. Cujus quidem sententiae auctores nulla aetate sectatores multos habuerunt, quippe quia ejus est generis ipsorum opinio, ut expresse satis et prima statim fronte erroris notam prae se ferat. Aut enim perabsurda illa, quam Epicurus docere haud erubescerat, hujus uniuersi origo statuenda erit; aut sane dicendum: mundum, qui semet ipsum procreare haud poterat, semet ipsum quoque conseruare haud posse adeoque deum neutiquam rerum curatione vacare. — Fuerunt alii, qui diuinam quidem rerum administrationem asserent, sed eandem, in conseruandis tantum rerum diuersarum generibus, non in rebus hujus uniuersi singularibus locum habere contenderent. Id quidem inter veteres philosophos *Maximus Tyrius* praesertim docuit, cujus tamen opinionem nostra aetate funditus destruxit vir non minori ingenio, quam doctrina praeditus; *Kaestnerus* celeberrimus, qui notiones generum ac specierum, quales in mente humana percipimus, frustra in deo quaeri, quam euidentissimis rationibus exposuit. — Fuerunt tandem, qui deum rebus quoque singularibus consulere, sed non omnia persequi docerent, ne hominem quidem unumquemque, multo minus rem minimam quamcunque aliam, agellum quemcunque, viticulas quascunque, vermes, bestiolas, uredinem, grandinem, venti motum, pulueris agitationem, cet. *Magna* tantummodo *deum curare* docuerunt, *parua* autem *negligere*. Hanc ipsam sententiam non solum a veterum philosophorum nonnullis diserte pronunciatam legimus, (vid. Cicero de natura deorum L. II. 66. L. III. 30.) sed eandem nostra quoque aetate haud pauci, ex eorum praesertim numero, qui ultra vulgus saltem habere sibi persuadent, ambabus manibus amplectuntur. Permagni omnino interest scire, utrum vera sit inclyta ista sententia, an falsa? Vera enim si esset, profecto nobis auctoritatem aliquam

peccandi afferret. Ita nimirum facile aliquis calculum suum ponere posset: si deus neutiquam me curat nec adeo, quid agam, animaduertit; quid est, quod ipsum colam, quod in sanctitate, pietate atque iustitia curam diligentiamque adhibeam? Quod quidem periculum peccandi eo minus negari poterit, quia, teste experientia, homines haud paucos reperimus, qui, clandestino furto, fraude, conuicio, violatione aut alio facinore, modo ne capitale sit, admissio, conscientiae perturbationibus liberare se student peruersa ista ac praeconcepta opinione, deum non minutias quascunque curare adeoque impune peccata ista leuioris generis committi posse. Lenioribus autem primis commissis, ad grauiora mox facile progrediuntur, interdum eousque degenerantes, ut, omni humanitate penitus deposita, vel atrocissimorum scelerum capaces euadant. Praeterea quoque, qui deum parua negligere nec singulorum hominum, cuiuscunque sint fortunae, quocunque loco nati, curam agere docent, solatium optimum mortalibus eripiunt, solatium, quod dici non potest, quam saepe in tot discriminibus rerum solum ac unicum nobis remaneat. Miseris enim istis, qui summa paupertate laborant, quibus in grauioribus negotiis suscipiendis spes deest prosperrimi ac exoptati successus, quibus ab aliorum malitia insidiae parantur, qui fatibus aduersis premuntur, e quibus, quomodo emergere possint, omni humana sagacitate attingere haud valent; quod, quaeso, aliud eiusmodi miseris superest solatium, praeter hoc: mala, quibus premuntur, non ignorari a deo, fataque ipsorum in manu summi Numinis esse, quod pro infinita, qua gaudet, benignitate ac sapientia ita omnia dirigere possit, ut maxima bona ex malis istis in ipsos redundent? — Operae igitur pretium est, paulo altius indagare, utrum prouidentia in rebus tantummodo magnis, an etiam in re quacunque minima versetur? Et haec ipsa est quaestio, ad quam penitus intelligendam, historiam praesertim ciuilem quam plurimum conferre, copiosius statim exponam.

Respiciamus ante omnia ad rationes, quibus ducti veteres illi ac recentiores docere haud dubitauerunt, magna tantummodo deum curare, parua negligere. Earum praesertim duae commemorari merentur. Altera haec est, *indignum* esse deo, rerum vel minimarum curam gerere; altera haec: *superuacaneam* esse eam ipsam curam. Quam quidem philosophorum sententiam magnam veritatis speciem praese ferre, negari omnino haud potest. Cursum enim stellarum ordinare; vires uniuersae naturae integerrimas semper conseruare; saluti magnorum imperiorum, ciuitatum ac virorum inuigilare, haec et alia ejusdem generis negotia nulla

ratione

ratione deo indigna nec superuacanea videri possunt. Diligenter autem animaduertere, utrum mare procellosum sit, an placidum? an reditus praefecti classis Portugalliae duorum grossorum pretio quotidie augeantur aut imminuantur? an in exaratis amicorum ad amicos litterulis circumspecte satis omnia verba sint scripta? an puluis pyrius in sclopeto eo ipso, quo fieri debebat, momento accendatur? an rhedarius quidam a solita via declinet? haec, centumque alia ejusdem generis diligenter animaduertere, ne viro quidem magno, nedum summo, quem colimus, deo ulla ratione dignum esse videtur. Superfluam autem esse rerum ejusmodi minutissimarum curam, plurimis sane sine omni demonstratione concedendum videbitur.

Sed corrui omnino haec philosophorum sententia, magnam alias probabilitatis speciem prae se ferens, si firmissimis argumentis confirmari potest, maximos euentus, summorum imperiorum ortum ac interitum, grauissimas rerumpublicarum vicissitudines, magnorum virorum conseruationem, splendidissimas in bellis victorias centumque res alias, quarum curam deus gerere omni jure asseritur, quam saepissime ab ejusmodi causis prouenisse, quae, in se spectatae, in rebus leuissimis habendae esse videantur. Si hoc extra omnem dubitationis aleam poni potest, nemo sane curam istarum rerum nec deo indignam nec superfluam omnino habebit. Id autem est, quod historia praesertim ciuilis nos docet, quae tot earum rerum exempla continet, ut vel delectus ipse exemplorum multitudine difficilis reddatur. Quid multa dicam de summorum imperiorum ortu atque interitu, cujus utriusque causas tenuissimas plerumque fuisse, inter omnes constat? Nec habemus sane ejusdem rei illustrius documentum, quam Romanorum imperium, quippe quod ab exiguis valde initiis profectum, eo postea creuit, ut nulla unquam respublica aut major aut potentior existeret. Potentissimum tamen hocce regnum, cujus legibus per plura secula non Europa solum obtemperauit, sed ex cujus arbitrio Asiae etiam ac Africae florentissimae regiones pependerit, ad interitum tandem redegit germanus quidam, *humili loco natus, homo miser et calamitosus, Odoacer*, qui cum conterraneis quibusdam patriam suam, hodiernas Moraviae ac Austriae regiones, derelinquens, in Italiam se recepit, postea militari munere functus ac tandem a militum tumultuantium turba dux electus, Romanorum imperium praeter omnem expectationem occupauit maximoque regno finem inopinato attulit. — Quam tenue fuit sub *Carthano* atque *Perdicca* regni macedonici initium! sed ad summum postea inter tot terrarum orbis imperia fastigium euectum est illud ipsum Macedo-

niarum regnum! — Rufforum imperium tantam confequitum eft potentiam, et magnitudinem, ut omnibus fere aliis ciuitatibus atque imperiis longe anteponi mereatur. Originem tamen fuam unius confilio *ciuis* nowgorodensis debet, quo cohortante Ruricus cum fratribus fuis ad summam rerum adminiftrandam arceffebatur, qui primum paucas tantummodo urbes tenebat, poftea plures adiciebat et hac ratione regnum fundabat, cujus fines poftea a mari balthico usque ad oceanum orientalem prorogati funt. Praeter exempla, ab ortu aut interitu magnorum imperiorum defumta, hiftoria ciuiliſ infinita alia quoque continet, e quibus perſpicue fatiſ apparet, permultas res, quae, in ſe ſpectate, paruulae nimis videntur, quam ut prouidentia diuina circa eadem verſari poſſit, maximos tamen, ac grauiffimos habuiſſe euentus: — Commercium inter Europam utramque Indiam, ſeculo decimo quinto et ſexto inſtitutum, maximam morum, diuitiarum, litterarum ac artium, foederum politicique ciuitatum europaearum ſtatuſ mutationem intulit effectusque eius rei ponderoſiſſimi hodie etiam perdurant ſemperque ſine dubio perdurabunt. Non aequae graues fuerunt rationes, quae ad negotium illud grauiffimum, aut fuſcipiendum aut feliciter conſiciendum permultum ſane conferrent! Niſi *Vaſcus de Gama* et *Chriſtophorus Colon* crebras tempeſtates euitaſſent *inſidiisque*, quas miſeri remiges ipsis pararent, *feliciter ſeſe eripuiffent*, ille *Calecutum*, hic Americae inſulas nunquam uidiſſet. Niſi tempeſtas magna ſaueuiſſet, *Petrus Aluarez Cabral*, tum certe, *Braſiliam* haud detexiſſet. Niſi rex Portugalliae, *Emanuel*, *Ferdinando Magellani* dimidiam partem *aurei Hiſpaniorum* negaſſet, meritoſiſſimus hicce praefectus claſſis munus ſuum, eximio honore adhuc in Portugallia adminiſtratum, haud depoſuiſſet neque, ad Hiſpanos tranſiens, de detegenda via circa totum terrarum orbem cogitaſſet. — Peſſima conjuratio oriebatur contra *Jacobum I.* regem Angliae, uniuerſamque regis familiam. Tempus, dies, hora; modus ac ratio atrociffimi facinoris, omnia erant definita, omnia comparata; nutus tantummodo expectabatur, ut fieret id, quod fieri debebat. Quoad homines videre poterant, nihil tetrum illud conſilium impediabat; tantus erat malorum hominum concentus, tanta eorum aſtutia, tam calide omnia diſpoſita. Sed litterulae, eo conſilio ſcriptae, ut quidam conjuratorum amicus interitui eriperetur, eo ſolo rem omnem produunt irritamque faciunt, quod *tria uerba* continent, haud *circumſpecte ſatis conſcripta*, *puluerisque pyrei ſuſpicionem* mouentia. Haecce ad conſilium irritum faciendum ſufficiebant. Conjuratio detegitur; rex, regia domus, multiſque principes regni ſaluantur; conjurati autem capite plectun-

plectuntur. — Quam levis fuit ratio, quae mortem *Josephi Emanuelis*, regis *Portugalliae*, impediret! Omnia ad regem interficiendum summa astutia disposita erant. Conjurati, tribus locis dispersi, regi insidiantur nocteque definita expectant, dum e villa regia in palatium rex curru reuenteretur. Conjuratorum caput, dux de *Auciro*, sclopetum suum in regis rhedarium dirigit, ut, hoc interfecto, rex eo minus conjuratorum manus effugere posset. Jam glandem plumbeam e sclopeto mittere cogitat, ictum minitatur; puluis pyrius in scutella accenditur et flammula statim a rhedario percipitur; sed *puluis in ipso sclopeto, ignem haud capit*. Rhedarius mulos suos quam celerrime currere incitat, de via solita deflectit regemque, a secunda conjuratorum manu haud lethaliter vulneratum, in domum securam seducit omnique periculo liberat. — Quam lenis fuit ratio, ex qua Caesar e pharsalica pugna victor discederet! Caesar enim jam a copiis Pompeji cedere coactus erat equitesque Pompeji summa vi summoque impetu in aciem Caesaris irrumpebant, quum hic milites subsidiarios suos arcesseret eosque iuberet, ut hastis, quibus armati erant, *faciem romanorum equitum* peterent eamque vulnerarent. Haec autem vulnera effoeminati equites romani valde timebant adeoque perturbati in fugam se recipientes, efficiebant, ut Caesar tandem victoriam exoptatissimam reportaret. —

Haec centumque alia ejusdem generis exempla euidenter satis nos docent, res minutissimas effectus saepe grauissimos saluberrimosque habuisse. Adjiciamus iis omnibus, quae haecenus dicta sunt, hanc quoque rationem; inter res, quas magnas vocare et quarum curam diuinam haud quaquam diffiteri solent philosophi, multas esse, quae solo eo magnitudinem suam habeant, quod praecipuam multitudinem rerum paruarum ac singularium adeoque rerum earum, quas deum negligere dicunt, complectantur! Cujus generis v. g. sunt magnae urbes, magni exercitus, magnae regiones, magnus populus, magna uberrimaque arua, et quae sunt reliqua. Quodsi, rebus ejusmodi magnis consulere, nec deo indignum nec superuacaneum haberi potest, quo jure, quaeso! vituperari meretur cura rerum singularium ac paruarum, quarum quasi complexus res magnas istas deum constituit? His igitur rationibus ductus, contra eos, qui magna deum curare, parua negligere docent, asserere haud dubito: *aut nihil deum curare, aut parua haud negligere*. — Haec tamen haecenus! —

Venio nunc ad ea, quae hocce programme indicenda tibi erant, Lector! Praematura morte ereptus est nobis Vir Clarissimus atque Doctissimus,

simus, *Jo. Christ. Dreyer*, qui munus professionis poeticae ac graecae linguae in Gymnasio nostro imperatorio non minori diligentia, quam laude atque utilitate per octo annorum spatium administravit. Consentiente *Excellentissimo* et *Generosissimo* ducatus nostri *Praefecto*, ab *Amplissimo civitatis Reualiensis senatu* ad suscipiendum munus illud vocatus est Vir *Clarissimus* atque *Doctissimus*, Daniel Ernst Wehrmann. Natus est Vir *Clarissimus* Hildesiae d. VI. mensis Decembr. anni MDCCXXXV. Ibi postquam in gymnasio Andreano elementa literarum humaniorum imbibisset, petiit Goettingam a. MDCCXLV. totumque se fere tradidit *Heynio*, quem alterum sibi parentem esse, pie praedicat. Is enim ipsi fuit dux et auctor ad Graecas et Latinas literas, ceterasque artes addiscendas, quae humanitatis dicuntur, ejusque beneficio sodalis seminarii philologici factus est. Nec pauca debet *Dizio*, quem iisdem in artibus, et in linguis recentioribus studiorum suorum adiutorem et moderatorem habuisse, grato animo fatetur. Praeterea usus est praeceptore in mathematicis *Kaestnero*, in physicis *Hollmanno*, eodem in philosophicis, in historicis *Gatterero* et *Murraio*, *Walchio* in theologicis, in sacro vero codice interpretando *Michaële*. A. MDCCCLXVIII. exeunte evocatus est Bilefeldam ad Praefectoris munus in gymnasio suscipiendum. Cui muneri cum per duos, et quod excurrit, annos praefuisset, a. MDCCXXI. a patribus civitatis Hildesienfis creatus est Rector gymnasii Andreani; anno vero vix uno elapso, revocatus est Bilefeldam ad munia Rectoris gymnasii obeunda. Nunc singulari quadam Diuini Numinis providentia factum est, ut a Senatu civitatis Reualiensis *Amplissimo*, consentiente *Excellentissimo* et *Generosissimo* ducatus Esthoniae *Praefecto*, in locum Viri *Clarissimi*, beate defuncti *Dreyeri*, ad docendas Graecas literas et poësin sufficeretur. Quod munus ipsi concreditum auspicabitur oratione *de poësi humanitatis magistra*.

Quam ad orationem audiendam, quae crastino die hora XI. in majori Gymnasii nostri auditorio publice habebitur, *Excellentissimum* atque *Generosissimum* hujus Ducatus *Praefectum*, omnes, qui copiis praesunt, *Nobilissimum* equitum ordinem, *Amplissimum* civitatis Reualiensis *Senatum*, verbi diuini *Ministros summe Reuerendos*, utrumque civium ordinem *Honestissimum*, omnesque litterarum fautores *humillime*, *obseruantissime* atque *amice inuito*.



Est.

A-1903